



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Calumniatoribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

Sorte qui abutuntur, & divinationes exercent, quæ hæresin non sapiunt: in foro conscientia, sive sint Laïci, sive Clerici, per quadraginta dies pœnitere debent: *c. 1. hic. ubi Dd. in foro Contentioso, hujus, puta Iuris, si Clerici à divinis & ministerio Altaris, secundum facti qualitatem & facinoris turpitudinem, per annum, & ultra, judicis arbitrio, suspenduntur: c. 2. & ibi Gloss. eod. si quidem non dolo, sed ex simplicitate illud commiserint: alioquin ab omni ordine sacro deponuntur, beneficiis privantur, & in monasterium includuntur. c. si quis Episcopus. ubi Gloss. 26. qu. 5. Abb. in d. c. 2. num. 4. in fin. Grilland. tract. de sortileg. qu. 11. num. 3. & 10. Si Laïci, & viles, fustigantur, vel mitrâ insigniuntur: si honestiores, relegantur, vel perpetuo carceri mancipantur. c. contra idolorum. 26. qu. 5. Rom. sing. 660.*

Qui divinationes exercent, quæ hæresin sapiunt (ut si dæmon pro Deo habeatur, imagines baptizentur, aliave eâ mente & pertinaciâ fiant, ut Deum verum ejusque Sacramenta esse negent:) ut hæretici puniuntur. *fac. c. recusatus. §. sanè. de hæretic. in 6. Grilland. d. qu. 11. num. 1. & 6.*

De hoc crimine cognoscit Iudex Ecclesiasticus, si accusentur personæ Ecclesiasticæ; *c. at si Clerici. de jud. c. si diligenti. de foro compet.* si Laïci, & simul hæresin hoc crimen contineat; vel Episcopus, vel Inquisitores fidei, conjunctim, vel disjunctim, secundum ordinem *in Clem. multorum. de hæretic.* constitutum: si non contineat; solum Episcopus. *d. c. accusatus. §. sanè.*

### De Calumniatoribus.

#### TIT. XXX.

**C**alumniatores hic accipiuntur pro eis qui falsa crimina, scienter, animo calumniandi vel vexandi reum, intendunt.

Dico *scienter*; quia temeritas facilitatis veniam continet:

82

& inconsultus calor calumniæ vitio caret. *ut not. in c. s. quem pœnituerit. 2. qu. 3. & c. si quis iratus. 2. qu. 3.*

Unde reo absoluto, Judex de accusatoris consilio, quâ mente ductus ad accusandum processit, quærere incipit.

Qui, si eum calumniosè crimen intentasse reperit, *d. c. si quem. §. sed non utique.* similitudine supplicii, quod probato crimine subiisset reus, cum existimationis dispendio, eum plectit. *c. 1. 2. qu. 3. c. quisquis. 2. qu. 8. c. calumniator. 2. qu. 3.*

Subdiaconus tamen calumniosè Diaconum accusans, officio Subdiaconatus privatur, & verberibus publicè castigatus in exilium mittitur. *c. 1. hic.*

Denunciator in probatione criminis deficiens, ab officio & beneficio suspenditur, donec se non calumniandi animo ad denunciandum processisse ostenderit. *c. 2. eod. e. quia juxta. 5. qu. 6.*

### De Collusione.

#### TIT. XXXI.

**C**ollusio nihil aliud est, quàm occulta conventio eorum, qui inter se judicio contendere simulant. *c. s. quem. 2. qu. 3.*

Quare, qui partem adversam adjuvant, proditis causis suis, prævaricari dicuntur; *d. c. si quem.* si quidem sint causæ criminales: *c. si quis. §. is autem. 2. qu. 3.* si spirituales, colludere. *c. audivimus. 3. hic.*

In criminalibus vel matrimonialibus, *c. ult. de transact.* causis, quia eæ, hoc jure, omnes quasi publicæ censentur, per transactionem, gratiam, collusionem, à lite recedere non licet; *c. crimina. & c. seq. hic.* si fiat, causæ iterum in judicium deducuntur, possuntque Rei, abolitione non obstante, accusari, & in eos inquiri. *c. ult. hic.*

Potest tamen judex de crimine, quod in judicium deductum, dispensare; auctoritatem, si accusator & accu-